



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

§ 3. Abbas præfatus ab Imperatore & Imperio Feuda Jurisdictionem & Regalia accipit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

lato Maximiliano per litteras Imperiales tanquam Statu Imperii citato nomine Monasterii habuit Procuratorium & sufficientem potestatem. Idemque doceri potest tum ex simili Procuratorio, quod concessum Officiato S. Maximini Theodoro Scipioni *von Krietschen* & Claudio Musiel, pro parte Abbatis Petri, ad Comitata Anno MDLXVI. euocati, profectis; tum etiam ex ipso eiusdem anni Imperiali Recessu, in quo nomen Abbatis eiusque missorum appressum reperitur. Idem doceri potest ex Procuratorio alio, quod Abbas in simili causa impertiuit Ioanni ab Hattstein Catholicæ Maiestatis Luxemburgi Consiliario, quando ad Comitata Imperialia Ratisbonam Anno MDCII. profectus nomine Monasterii accepit pleni potentiam. Sed & Anno MDCVIII. ad Dietam Imperialem suo nomine ablegauit Abbas Reinerus illuc conscriptus, quendam de conuentualibus suis Nicolaum Nouilanium, adiunctis illi Prefato Ioanne ab Hattstein, & Georgio Millæo Leuchrenburgensi Consiliario iuxta ac Cancellario, qui Nicolaus sessionem & suffragium consuetum inter Imperiales Status habuit, registratus in Moguntina Archicancellaria. Item & Anno MDCXIII. ad indicta Comitata misit idem Abbas Reinerus & Coadiutor eius Nicolaus conuentualium suo nomine, Dominicum Wissendorff, cui adiunctus fuit Engelbertus de la Neueforge Regius Consiliarius & Procurator Generalis Luxemburgi.

S. 3. *Abbas præfatus ab Imperatore & Imperio Feuda Jurisdictionem & Regalia accipit.*

ID notissimum est, & ab ipsis Archiepiscopis propria confessione agnitum. Et probatur adhuc per ea omnia Diplomata, quibus Imperatores Regesque sibi potestatem in Abbatiam priuatiuè quoad cæteros omnes retinuerunt, quibus Abbati ac Monasterio, feuda, Regalia, Curtes siue Curias Iurisdictionesque concesserunt ac donârunt: Ita ut in bonis Monasterij vix quicquam reperire sit, quod ab Imperatoribus, Regibus, supremisque Principibus immediatè ad Monasterium per beneficium non processerit, ab Archiepiscopis verò ne hilum quidem.

Probatur itidem per ipsa Maximiliani I. Diplomata Anno MCCCCLXXXV. expedita, per quæ Imperator Archiepiscopo mandauit, ut Imperatoris Imperijque nomine ac autoritate Abbatem de feudis Regalibusque inuestiret, siue inuestituras renouaret: Abbati verò ut eadem feuda ac Regalia prædicto modo, Imperij scilicet Imperatorisque nomine & vice ab Archiepiscopo deinceps reciperet. Vnde sequitur feuda ista ac Regalia ab Imperio moueri, & Archiepiscopos tanquam Procuratores & Commissarios Imperatoris ad dictas inuestituras renouandas constitutos, de quo alibi latius.

Neque vero Mandatum hoc & Commissionem grauiter tulerunt Abbates, quippe, quorum nihil intererat per Imperatorem ipsum, an per eius Procuratorem & ipsius Imperatoris Imperijque nomine & vice ab Archiepiscopo inuestituram acciperent, quin imò è re ipsorum erat à molestis ad aulam Cæsaream Protectionibus hoc pacto liberari.

Quæ clarè omninò demonstrantur documentis sub Num. 51. & seqq. exhibitis, vbi etiam habetur forma Regalium, quibus Ottonem Abbatem Ioannes Archiepiscopus primum inuestiuit. quæ forma deinceps seruata est ab eodem Archiepiscopo Ioanne Anno MDII. circa Abbatem Thomam Ottonis Suc-

cessorem: & circa Abbatem Vincentium Anno MDXIV. ab Archiepiscopo Richardo à Greiffenclau Anno MDXXVI. circa Abbatem Ioannem Cellis, Vincentij Successorē; ab Archiepiscopo Ioanne ab Isenburg Anno MDXXIX circa seipsum tanquam Abbatem Commendatarium. Idem confirmatur ex formula Iuramenti Abbatis in susceptione Regalium fieri solita, & ab ipso Isenburgico seruata, qua manifestè Abbas fidelitatem iurat Imperatori & Imperio, vt videre est Num. 52. & N. 57.

Ex quo sanè sequitur euidenter Abbatem S. Maximini in Iurisdictione regalibusque esse Vassallum Imperij, & cum præterea votum & sessionem habeat in Conuentibus, eum esse Statum & membrum Imperij. Vbi notandum est quod in inuestitura instrumentis vocatur *INSIGNE* membrum, quo non vulgaris aut simplicis, sed præcellentis membri qualitas indicatur. Quod & alijs sublequentibus immediati Status notis particularius elucescet, his scilicet.

S. 4. *Abbas S. Maximini habet singularem Dignitatem in Imperio nimirum Archicapellani Romanorum Imperatricis officium.*

HOc enim verò solum sufficere arbitror, cur Monasterium censeatur & sit *INSIGNE* S. Rom. Imperij membrum, quòd in Imperatoria Aula illustri officio Palatino eius Abbas sit insignitus.

Eiusmodi enim officia non nisi immediatis, & illis quidem eminentibus statibus annexa sunt. Ita videmus Archiepiscopos, Electores esse Imperij Archicancellarios, Regem Bohemiæ Archipincernam, Ducem Bauariæ Archidapiferum, alios inferiores Principes & Status inferiora officia exequi, & non modò Imperatori sed & Imperatrici Romanorum suos esse officarios Palatinos, cuius Archicancellarium esse Abbatem Fuldensem constat.

Equidem eos Principes & Status, qui eiusmodi officia in Imperio Imperatorisque aula obeunt singulatibus prærogatiuis, priuilegijs ac immunitatibus gaudere, etiam antiquæ Imperatorum Leges multipliciter sanciant, vt videre est in Codice Iustiniano Tit. de Palatinis factarum largitionum. Item de priuilegijs eorum, qui in sacro Palatio militant: Immunitate enim digni sunt, quos Imperatorij lateris comitatus illustrat. L. vnic. C. de præpositis laborum.

Iam verò Abbatem S. Maximini esse Imperatricis Archicapellanum, idque à septingentis propemodum Annis & ad Reginam ac Imperatricem confirmandam & benedicendam perpetua lege constitutum.

In Imperio quidem receptum & notum esse constat ex Frehero in notis ad Petrum de Andlo l. 2. c. 7. Vischero in disc. de Elect. concl. 39. n. 222. Antonio de Yepes in Chron. S. Benedicti T. 2. Cent. 2. c. 2. alijsque scriptoribus, sed ex documentis & diplomatis à nobis exhibitis firmiter probatur.

Nam sic habet Ottonis Magni Rescriptum, *Decernimus atque iubemus, vt presatus Abbas S. Maximini Willeherus, omnesque sui Successores prædicta coniugi nostra Adelheide scilicet, imperatrici, alijsque post illam Reginis & Imperatricibus ad Capellam, ad mensam in Curia seruiant &c.* Et deinde, *Quotiescunque ad Regalem Curiam venerint, de Regia mensa pascantur, & inter Curiales ac domesticos Regis & Regina, qui Regio cibo vescuntur non insimi semper habeantur, prout decet illum sacratissimum locum & prouisores & ministros illius Ecclesie, perquam cuncti Reges & Imperatores per vicissitudines temporum, cum suis Contugibus in*